

A hanc sic legunt, vt illud Ψ omittant, quod & Arabs facit. Est qui legat ad hunc modum: Quia admira-
randa fecit salutari dextera sua, & brachio suo sancto. Hæc lectio verbum Ψ nominaliter legit. In reli-
 quis versibus nihil est varietatis.

Cantate Domino canticum nouum. Habet hic Psalmus pleraq; cum præcedenti 96. communia, præ-
 fertim initio & in fine: quæ quoniam supra sunt exposita, nulla est denuò exponendi ea necessitas. *Canta-*
te, inquit, Domino canticum nouum. qua de re? Subiungit: *Quoniam mirabilia fecit.* Quæ sunt illa? *Salutem,*
inquit, operatus est sibi dextera sua, & brachio sancto suo. His verbis tantundem dicit: Ipse salutem operatus
 est, & nullus alius. Dicitur enim Deus per se ipsum facere, quod dextera & brachio suo facere dici-
 tur. Nec offendere debet, quod nõ simpliciter dicit, *Salutem operatus est dextera sua:* sed, *Salutem operatus*
est sibi dextera sua. Significatur enim hac loquutione, non defuisse sibi Deum, sed suam ipsius causam
 contra impios dextera sua exequutum esse. Tales loquutiones habentur etiam in Prophetis lite-
 ris, vt pote Esa. 59. vbi sic legimus: *Et vidit Dominus, & displicuit in oculis eius, quòd non esset iu-*
dicium. Et vidit quòd non esset quisquam, & admiratus est quòd non esset qui oraret: & salutem
 operatus est sibi brachio suo, & iustitia eius ipsa confirmauit eum. Et induit se iustitia sicut lorica,
 Et cap. 63: *Dies ultionis, inquit, in corde meo, annus redemptionis meæ venit. Et aspexi, & non*
erat auxiliator: admiratus sum, & non erat qui fulciret: & seruauit me brachium meum, & iustitia
mea ipsa fulciuit me. Et conculcaui populos in furore meo, &c.

EXPLA-
 NATIO.
 Vers. 1.

Notam fecit Dominus salutem suam. hoc est: Declarauit Dominus esse sibi virtutem saluandi, & iu-
 stitiam exercendi. Posita est enim salutis dictio pro virtute saluandi, sicut & alibi, vbi dicitur: *Do-*
mini est salus: id est, virtus saluandi. *In oculis gentium, inquit, reuelauit iustitiam suam.* Q. d. Gentes, quæ
 Deum non cognouerunt, incognitumque nec coluerunt, nec timuerunt, expertæ sunt potentiam
 & iustitiam eius.

Vers. 2.

Recordatus est bonitatis suæ. Hoc versu significat, vnde motus sit ad operandum salutem populi sui.
Placatus, inquit, abiiecit iram suam, & bonitatis suæ & fidei, quam Israël impenderet, recordatus est. Hinc factum
 est, vt tanta simus potentia seruati, vt Dei nostri salutem, quam scilicet ipse operatus est, omnes fi-
 nes terræ viderint.

Vers. 3. 4. 5.
 6. 7. 8.

Iubilate Domino omnis terra. Ab hoc versu ad vltimum vsq; terram vniuersam, mare, omnes habita-
 tores Orbis, flumina & montes ad iubilandum, vociferandum, exultandum, psallendū, tubis claus-
 gendum, intonandum & plaudendum coram Domino inuitat. De hac prosopopœia supra dictum
 est, Psal. 96. vers. 11. & 12.

Ante faciem Domini. Et hic versus supra Psalm. 96. in fine habetur, nisi quòd illic dicit: *Et populos*
B *in fide sua;* hinc verò: *Et populos in æquitate.* quæ particula tamen eodem Psalm. vers. 10. legitur, vbi et
 iam exposita est.

Vers. ult.

Salutem operatus est sibi dextera sua. 1. Notemus hîc & consimilibus alijs locis quàm sit causa populi
 Dei pressi ab impijs non solius populi, sed cum primis ipsius quoq; Dei, ideoq; Deum potenti suæ
 dextera non deesse suæ causæ, sed sic liberare suos, vt in illorum salute cum primis suam ipsius cau-
 sam agat, & gloriam suam asserat. Et vt huius admoneremur, & ex eo animaremur, mox initio Psal-
 mi huius particulam hanc præmisit Spiritus sanctus. Sit itaque etiam nobis magnæ consolationi,
 quòd certum est Deum causæ suæ & gloriæ non deesse etiam si nos indigni simus, quos liberet &
 asserat. Nullius ope indiget ad operandum huiusmodi salutem. Sufficit illi dextera ipsius. Soletur
 hoc nostram imbecillitatem, contra vires & brachium impiorum. 2. Deinde & illud notemus,
 quòd brachium Dei, quo conteruntur impij, & redimuntur adflîcti, vocat *sanctum.* Est quidē Deus
 ipse sanctus, & quæ illius sunt omnia: verum potentia illius, quæ dictione *brachij* intelligitur, etiam
 ob id *sancta* vocatur, quòd omnino diuinum est perdere impios, & asserere pios. Quare etiam gla-
 dius ille, quem magistratus à Deo accepit, si ritè vsurpetur, sanctus est Domino. Et Leuitæ manus
 suas in occisione idololatrarum sanctificasse leguntur, Exod. 32. Deinde si brachium Dei sanctum
 est, ergo non tuebitur consilia impiorum.

Notam fecit Dominus salutem suam. Etiam hoc loco notatur cæcitas gentium, quibus potentia & iu-
 stitia Dei, cum tamen vtraq; sit omnium illustrissima, absconditæ sunt tantisper, dum vtramque
 dextera & brachio suo populum suum liberando, & impios prosternendo declarat. Certè iucun-
 dissimum est animo pio, si viderit gloriam potētiae Dei illustrari apud impios & incredulos. Vnde
 & Propheta hac de re tantopere non præfenti modò, sed sequenti versu gloriatur. Deinde obiter
 & illud fuerit obseruandum, quòd potentiam Dei saluandi suos, & iustitiam coniungit. Sic Deum
 describit & potentissimum & iustissimum, vt potentiam brachij eius à tyrannidis nota vindicet.

OBSER.
 Vers. 2.

Alibi quidem dicit: Deus noster in cælo est: quæcunq; vult, facit. At ne potentia ista & libera quid
 vis faciendi voluntas iniustitiæ & tyrannidi coniuncta putetur, solet nobis Scriptura Deum non
 solum vt omnipotentem, sed & iustum iudicem proponere.

Psal. 113.

Recordatus est bonitatis suæ & fidei suæ. 1. Primùm notemus istam loquutionem. Accommodat se
 Spiritus sanctus nostris tentationibus. In tribulationibus sic têtatur caro nostra, vt putemus Deū
 oblitum esse bonitatis suæ: ac rursus illius eum recordari, quando eam erga nos placatus declarat:
 cum tamen nulla obliuio in Deum cadat, nec vnquam desinat esse bonus, quia nunquam potest
 fieri malus. 2. Deinde obseruandum est, quòd *bonitatem & fidem* coniungit: idque eo ordine, vt
 bonitas præcedat, rectè. Est enim *bonitas* velut mater *fidei* Soli boni sunt fideles. Ex perfidia disce
 malitiæ ingenium. Non potest igitur non esse fidelis, qui reuerà & semper bonus est. 3. Tertio &
 hoc notemus, quòd dicit: *Domui Israël.* Primùm sic corporatæ sunt *bonitas & fides*, vt sese in aliquem

OBSER.
 Vers. 3.